



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1652. usque ad annum 1662

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1779**

**VD18 90119185**

§. 47. Franciæ Præsulum consultatio contra Jansenistarum effugia.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67372)

Sæc. XVII. hisce erroribus seu potius ex sectariorum pertinacia novi tumultus fuissent progerminati.

## §. XLVII.

*Franciæ Præfulum consultatio contra Jansenistarum effugia.*

*Argentre collect. Jud. t. 3. p. 277. Recueil pag. 117. Relat. Cler. Gall. pag. 8. edit. 1661.*

Ex hisce Jansenistarum scriptis ac sermonibus Franciæ Præfules haud obscure cognoverant, quod illi excogitata sua distinctione nonnisi aliorum oculis fucum facere, Pontificiæ censuræ auctoritatem evertere, & Jansenianæ doctrinæ a Papa damnatæ, quam tueri cæperant, ulterius adhærere intenderent: Ut igitur Præfules Gallicani hisce Jansenistarum molitionibus tempestive remedium opponerent, quot tum Parisiis agebant, ad diem octavam Martii Conventum celebrarunt, quid in periculosa hac rerum vicissitudine agendum, deliberaturi. Præprimis igitur Marmiesus Abbas Cleri Gallicani Procurator, ac postea Conferanensis Episcopus congregatis Præfulibus exposuit, quod Jansenistæ ad eludendum obsequium, quod oretenus Pontificiæ Constitutioni antea sponte dissent, palam propugnarent, quod quidem in quinque hisce propositionibus doctrina ab Ecclesia sit infallibiliter

damnata, ea vero in Jansenii libro non Sæc. XVII.  
 contineretur, sed ab Orthodoxæ doctri- A. C. 1653.  
 næ hostibus Jansenio perperam attri-  
 bueretur. Percepta Procuratoris rela-  
 tione Præsules congregati quatuor Ar-  
 chiepiscopos Victorem Buthelierum Tu-  
 ronensem, Georgium Aubuffonium Em-  
 brodunensem, Franciscum Harlayum  
 Rotomagensem, & Petrum de Marca  
 Tolosanum præter quatuor Episcopos  
 Ludovicum Attichium Augustodunen-  
 sem, Petrum Bertierum Montalbanen-  
 sem, Henricum de la Mothe Houden-  
 curtium Redonensem, & Jacobum Le-  
 scotum Carnutensem, omnes Viros  
 scientiæ præstantia claros selegerunt,  
 ut Jansenii librum sedulo ad examen  
 revocarent, adversæ partis scripta ma-  
 ture discuterent, & damnatas quinque  
 propositiones cum verbis & doctrina  
 Jansenii conferrent: Nec vicissim otia-  
 bantur Jansenistæ; hi enim præprimis  
 ad hunc Præsulum conventum duos  
 libellos typis excusos detulerant, quo-  
 rum primo demonstrare nitebantur, ad-  
 versarios suos nil aliud intendere, quam  
 ut damnatis Jansenii opinionibus eo ipso  
 Divi Augustini doctrina damnaretur,  
 altero autem demonstratum ibant, quin-  
 que hæc propositiones in Jansenii libro  
 non reperiri, sed hunc Auctorem potius  
 contrariam doctrinam tradidisse. Hæc,  
 cete

Sæc. XVII. ceteraque Jansenistarum scripta in de-  
A. C. 1654. cem omnino Congregationibus summa  
 diligentia discutiebantur, postea vero  
 die vigesima sexta Martii octo Præfules  
 Deputati ad plena Cleri comitia Lupara  
 coram Mazarino Cardinale habita ac-  
 cesserunt, atque inter eos Embrodunen-  
 sis Archiepiscopus retulit, quod excogitata  
 Jansenistarum distinctio inter ques-  
 tionem juris & facti ad Pontificis con-  
 stitutionem penitus evertendam tende-  
 ret; si enim, inquiebat ipse, hæ pro-  
 positiones non sunt Jansenii, sed eidem  
 falso adscripti, Jansenii doctrina a Pon-  
 tificis definitione foret immunis, si au-  
 tem eædem propositiones duntaxat in  
 sensu indeterminato fuerunt proscri-  
 ptæ, & in sensu orthodoxo æque ac  
 hæretico accipi possunt, Pontificis Con-  
 stitutio foret illusoria, & controversia  
 minime decisa: postmodum idem Præ-  
 sul demonstrabat, spectato totius doctri-  
 næ Jansenianæ contextu, Authorisque  
 proposito constare, quod quinque Pro-  
 positiones in Constitutione Pontificia  
 damnatæ in Jansenii libro contineren-  
 tur. Hanc in rem Archiepiscopus Jan-  
 senii textus quinque proscriptis propo-  
 sitionibus consonos prælegit, hasque  
 in proprio earum sensu seu in Jansenii  
 sensu damnatas fuisse ostendit. His  
 perceptis, ac mature discussis omnium  
 suffra-

Sæc. XVII.  
A. C. 1654.

suffragio decisum, ad reddendam Ecclesie pacem, & conciliandos utriusque partis animos nil magis expedire, quam quæstioni per Constitutionem decisæ insistere, simulque declarare, quinque hæc propositiones ex Jansenii libro fuisse decerptas, easque in proprio earum sensu, seu Jansenii sensu damnatas, ac de rebus hucusque gestis Pontificem datis literis certiozem esse reddendum, simulque encyclicam epistolam ad omnes Franciæ Præsules mittendam, ut hi eo facilius Jansenistarum versutias dissipare valerent. Opposuerunt Jansenii sectatores, quod quidem harum propositionum, in quocunque demum sensu accipiantur, damnationi assentiant, nunquam tamen admissuri sint, eas Jansenii sensum præferre. Nihilominus Præsules censuerunt, ut Delegatorum suffragia, necnon propositum ab eis remedium die vigesima octava Martii adhucdum maturiori deliberationi reservaretur, interim vero cuilibet integrum foret, Jansenii textus cum quinque proscriptionibus conferre.

## §. XLVIII.

*Ulterior Cleri Gallicani deliberatio.*

Præstituta die Delegati Præsules in publico confesso non modo discusserunt